

ius pars est, falsitatem probare, ex superioribus liquet. Quæ enim religio Deo sanctitatem & ipsam adeo divinam naturam detrahit, ea hoc ipso originem suam Deo non deberi manifestat. Neque ergo illa religio inquisitione & explicatione causarum salutis omnia ad Deum referre potest, ut primam causam, quæ ex Deo facit non Deum. Dum propter Christi meritum fide finali apprehensum negat Deum salvandos decreuisse salvare, Christum salutis causam meritoriam esse negat. Gratia divina certitudinem nulli in individuo ostendere potest, quæ odium Dei pro gratia exhibet. Quæ gloria attributorum divinorum & naturæ divinae Deum privat, ad laudem gloriae divinae referre nihil potest. Concludat jam contra se Röellius, quia religio, quæ absolutum Electionis decretum proponit exosculandum, ita agit, quod illa sacrilega religio sit.

## SECTIO III.

### §. I.

Nunc ad Argumenta accedimus discutienda, quibus à Paulo doctrinam de absoluta Electione tradi, Comment. p. 627. seq. confirmare conatur Röellius, atq; sic eadem enumerat.

I. Dum gratiam illis, & pacem [Paulus] apprecatur à Deo, Patre ipsorum, & Domino Iesu Christo: clare innuit, à divina, gratia, hoc est, immerito Patris & Filii favore, & liberrimo praeter & contra meritum salvandi proposito, pacem & communione cum Deo, omniaq; ad salutem necessaria petenda atq; exspectanda esse. Hanc enim esse in Scriptura veram gratiam significationem, supra abunde evicimus.

Resp. Gratia Dei ita est causa impulsiva interna Electionis, ut illa non excludat causam impulsivam externam meritum fide apprehensum, nisi, qui causa impulsiva interna justificationis & salvationis est Dei gratia, excludatur à causa impulsiva externa justificationis & salvationis Christi meritum fide apprehensum sive fides in Christum,

G 2

§. II.